

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Dissertatio Inauguralis Medica De Amethodia Medica In
Genere**

Goelicke, Andreas Ottomar

Francofurti cis Viadrum, [MDCCXXVI?]

VD18 1190920X

urn:nbn:de:gbv:45:1-16973

6

CXIII

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
**AMETHODIA
MEDICA**
IN
GENERE,

QVAM
AUXILIANTE DEO
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ
CONSENSU
IN REGIA VIADRINA
PRAESIDE

**DN. ANDREA OTTOMARO
GOELICKE,**

MED. DOCT. AC PROF. PUBL. ORDIN.
h. t. FACULTATIS SUAE DECANO SPECTABILI
Nec non Circuli Lebusiensis Physico Ordinario,
PATRONO ET PROMOTORE SUO OMNI OBSERVANTIAE
CULTU AETATEM COLENDO

PRO GRADU DOCTORALI
RITE CAPESSENDO

IN AUDITORIO MAJORI

Horis Ante & Pomeridianis

Ad d. XVII. Octob. Ann. MDCC XXVI.


Publice ventilandam proponit

Autor

JOH. SIGISMUNDUS JAENISCH,
Goldberga-Silesius.

Erantofurti cis Viadrum, Typis TOBLÆ SCHWARTZII.





B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

centres





PROOEMIUM.

Non dubito, fore plerosque, qui hoc Thema speciali discussione indignum aestimabunt, cum Dissertationis hujus Inauguralis limini Amethodiae Titulum praefixum legerint. Sed hi erunt fere, qui, Amethodiam medicam doceri, methodo Scholarum minus convenire, cum ratione argutabuntur. Hi tamen, si certiores reddentur, nos Amethodiam in damnum generis humani neminem edocturos, sed tantum de Amethodia, genuinae medendi Methodo aequiparari imò praeponi solitâ, verba facturos esse, institutum hoc nostrum forsitan non improbabunt. Neque enim Amethodiam medicam hinc inde theoretice & practice venalem proponere nefas habetur, quippe quae non difficulter emptores suos invenit, ita, ut multi hoc Consilium
A ineun-

ineuntes Theoriam & Praxin medicam experiantur auream. Exempla sunt odiosa, factum ipsum vero ab omni honestate remotum. Nihilominus historia facti plus simplici vice in quotidiana vita occurrit. Loquitur hoc Praxis vulgaris cum Theoria nullatenus cohaerens. Loquitur hoc, si non Lege Artis interemptorum, certe tamen valedudinariorum, ex perversa medendi methodo talium miserimus numerus, cujus jure meritoque habenda est ratio. Cur igitur, quae publice per manus traduntur, & innumeris imponunt Amethodiae medicae, publico examini non subjiciantur? Scommate exploso carpere vult quisvis, imitari nullus; Interim à proposito non deterremur. Nemo hoc nobis obganniet, nisi qui forte erroribus, quos denudare in animum induximus, patrocinari sustineat. Unde, licet veritas odium pariat, nihilominus tamen honestorum & cordatorum Practicorum odium non metuimus, male feriatorem non curamus. Adhaec quemq; suo Sensu abundare patimur, nec ullius laudi quicquam detrahemus, satis gnari, quod in eruenda veritate adversus ignorantiam & errores, non adversus personas arma movere conveniat. Alius autem majoris momenti mentem tenuitatis suae sibi consciam, urget scrupulus, nimirum: An diffusissimae

mae huic materiae pro dignitate exhauriendae vires sint suffecturae? Obicem vix removendum instituto nostro ponere videtur dissensus Medicorum vix unquam conciliandus. Sicut enim in Causis morborum reddendis, ita in remediis & methodo medendi sibi invicem directe contradicunt, dum alter ex Mechanismi, alter ex Idealismi principiis Theoriam & Praxin suam consuit. Singuli tamen pro assumpta hypothese tanquam pro aris & focis pugnare siveverunt. Hinc methodum, quam alius commendat, damnat & Amethodiae accusat alius. Ex quibus tricis emergere profecto labor existit herculeus. Tentabimus tamen, quid valeant humeri, simul operam daturi, ut ad monitum Beccheri in Phys. subterr. p. 3. Theoria Praxi, & Praxis Theoria defendatur, ita ut una de altera testimonium perhibeat. Omnis enim bona & frugalis Theoria ex Praxi est petenda, quae rursus Theoriam parit, in quo circulo semper haerendum, Theoriam Praxi & Praxin Theoriae jungendo. Fundamentum itaque totius nostrae tractationis sternit observatio practica, ex vita quotidiana petita, cui Theoriam de Amethodia in medendo superstruemus. Deum autem, ut Medicinae, ita etiam genuinae medendi methodi Autorem humillima

A 2

prece

prece supplices veneramur, ut menti inter innumerorum medicorum errorum Scyllam & Charybdim fluctuanti Pharum ad Veritatis portum recto tramite ducentem accendat, levemque nostram opellam ita dirigat, ut cedat in nominis sui gloriam & proximi emolumentum.

§. I.

Non fert animus, in explicatione nostri Thematici *Homonymiae, Paronymiae & Synonymiae*, aliisque Scholarum terminis, in quibus omnis propemodum eruditio quaeritur, multum immorari; partim, quia limitum dissertationi dicatorum habenda est ratio, partim, quia titulus ratione vocabulorum sua luce radiat. *Amethodia* enim, sicut natales suos Graeciae debet, & ab *a* privativo atque a nomine *μεθόδεα*, quod a primitivo *μεθόδος* proficiscitur, originem trahit; ita vi vocis *methodum non-methodum* seu aberrationem a recto tramite significat. Mederi autem involvit legitimam applicationem mediorum & modorum vitam & sanitatem hominis tuentium. Unde *Amethodia* in medendo vi definitionis nominalis perversam applicationem *mediorum & modorum*, vitam & sanitatem humanam tuentium, indigitat.

§. II.

Definitur autem haec *Amethodia* in medendo, quod fit *methodus medendi*, in qua *media & modi ad tuendam*

endam hominis vitam & sanitatem adhibentur, quae causis morborum minus sunt idonea.

§. III.

Videtur quidem primo intuitu nomen *Methodi*, quod Generis loco posuimus, *Amethodiae* non competere; siquidem *Methodus* medendi & *Methodia* contradictorie sibi sunt opposita. Cum tamen, juxta mentem celeberrimorum Philosophorum, Genus singulis Individuis meditationis & singulis quoque objecti oppositi competere debeat, *propius* genus suppeditandum haud invenire potui.

§. IV.

Forte autem *Amethodia*, quam excutimus, *Non Entibus* est annumeranda? Deberet jure meritoque. Nam *Medicum* esse & *Amethodiam* fovere, non sunt compatible. Ast, si vera fateamur, non pauci, qui se profitentur *Medicos*, hoc vitio laborant. De *Agyptis*, *Circumforaneis*, aliisque *Empiricis* verba facere lubenter supersedemus. Utinam & omnes ii, qui *rationales Medici* esse contendunt, ab hoc vitio immunes existerent! Nolumus per inductionem Exemplorum *Amethodiae medicae* existentiam confirmare. Ubi cum vitiis agendum, ibi parcendum est personis, sua laude alias non defraudandis. Probat interim *Amethodiae medicae* existentiam 1.) Dissensus Medicorum in Theoria & praxi occurrens. Valet enim hic commune illud: Quot capita tot sensus. Unde duo tantum, coram uno lecto in consilium vocati, ut plurimum meras rixas movent, dum alter alterius *Theoriam & methodum*

thodum perstringit, neuter vero de Salute aegri, qui interim patitur, cogitat. Ubiq; igitur, sicut in Medicina de Veritate & *vera methodo* contradictoria movetur quaestio, illaq; nondum ita est soluta, ut alterutri parti silentium possit imponi, veritas & vera methodus non in ambabus, sed in alterutra tantum parte est quaerenda. Si autem in alterutra tantum parte vera principia theoretica & practica deprehenduntur, altera pars falsitatis & *Amethodiae* sine dubio erit inculpada. Unde de *existentia Amethodiae medicae* vel unico hoc argumento certiores reddimur.

§. V.

Confirmat hanc *Amethodiae* existentiam 2.) *Morborum corruptorum* seges foecundissima. Cum enim *vera medendi Methodus*, ubi juvare non potest, ad minimum a damno inferendo abstineat, neque consiliis aut auxiliis suis statum aegroti pervertat, aut indolem cuique morbo propriam ita immutet, ut deterior a *medendi methodo* evadat, & tamen tot occurrant aegroti, qui ex medicationis vitio non modo magnum, sed interdum etiam irreparabile sanitatis damnum incurrerunt: Ideo per se patet, quod detur spuria medendi methodus, methodo legitimae e diametro contraria, quam in praesenti *Amethodiae* titulo notare placuit.

§. VI.

Hanc *Amethodiam* in eo positam esse asserimus: Quod *media & modos ad tuendam hominis vitam & sanitatem adhibeat, quae causis morborum tollendis sunt inidonea.*
Propri-

Proprium enim *genuinae medendi methodi* est, eligere talia media, talesque modos, quibus causae morborum e medio tolli possint: Unde vi oppositionis, *Amethodia* contraria ratione procedet; quia contrariorum contraria sunt praedicata & propria. Qua de re etiam differentia specifica *Amethodiae* in nulla alia re, quam in incongrua applicatione *mediorum & modorum* sanitatem tuentium, constituere potuimus.

§. VII.

Sicut autem verae & bonae methodi nota characteristicam in eo consistit, ut aeger vel pristinae sanitati satis cito & tute restituatur, vel saltem a graviore & ab indole morbi sibi relictis non dependente malo praeservetur; ita e contrario infallibile *Amethodiae* signum est, si post medicationem alius, quam modo allegatus effectus sese prodatur.

§. IIX.

Unde quod *ἀμεθοδῶς* cum aegro fit actum, sequentes circumstantiae manifestant 1.) quando dispositio ad morbos in actuale morbum erumpit 2.) quando ex moliminibus Naturae se & excretoriis legitimis, licet quoad gradum ab ordinariis deflectentibus fiunt incongrua & anomala 3.) quando se & excretionem ordinariam & extraordinariam proportionatae & salutes evadunt improportionatae, ita ut vel nimis excedant, vel deficient, vel loca periculosa petant 4.) quando ex malo nondum obfirmato fit habituale, ex minus periculoso fonticum & funestum. 5.) quando affectus acuti in chronicos & lentos,

tos, lenti & chronici in acutos, periodici in vagos, vagi in fixos degenerant. Plures circumstantias consulto omittimus, quia ad *Amethodiae* species tanquam Observationes singulares pertinent.

§. IX.

Consulto tamen ducimus de diversis *Amethodiae* speciebus verbum addere: Differt autem *Amethodia* partim ratione *Subjecti*, Medicinam administrantis, partim ratione *Objecti*, partim ratione *effectus & eventus*.

§. X.

Respectu *Subjecti*, Medicinam facientis, dividimus *Amethodiam* in *naturalem & artificialem*. *Naturalem* eam dicimus, ubi *Natura Therapiam* sui corporis perverse administrat. Est haec *Amethodia* vel *sani* vel *aegri* corporis. *Sani*, quando *Natura Oeconomiam* animalem ea, qua fieri debet, & potest *ακριβεία* a corruptione non praeservat. *Aegri Corporis Amethodiam naturalem* nominamus eam, quando *Natura* in subigendis & removendis morbis corpus actu infestantibus *metodo anomala* procedit. Facit hoc 1.) quando in motibus suis intentioni insistit, cujus executio corpori interitum minatur 2.) quando in bona & laudabili intentione media & modos corpus tuendi eligit, quibus id ipsum destruit. Videmus hoc in iis *Casibus*, a) ubi *Natura* vel in excessu vel in defectu peccat, b) ubi tumultuarie neglecta temporis, ordinis, materiae peccantis circumstantia contra causas morbificas operatur, c.) ubi locum incongruum & periculosum eligit. Cum autem *Celeb. Stablinus* partim in
Dissert.

Dissert. de *Therapia sani corporis*, partim de *Erroribus Naturae medicis* hanc materiam solide jam discussit, nolumus actum agere s. ut Proverbium sonat; *Iliada* post *Homerum* scribere.

§. XI.

Insistimus ergo *Amethodiae artificiali*, quae est *Amethodia*, ubi Medicinam faciens in applicatione Remediorum ita procedit, ut *Causa morbi* vel plane non, vel saltem non legitime removeatur.

§. XII.

Haec *Amethodia* alia 1.) est *empirica*, quae a Medicis principiorum medicorum ignaris exercetur; alia est *rationalis*, quam Medici *rationales* dicti committunt. Dicuntur vero *Medici rationales*, qui ab ore Medicinam docentium pependerit, & principiis theoreticis, quae hauserunt, Praxin suam superstruunt; quales a DD. Praeside *cathedrales*, a *climicis* provide distingvendi, solent vocari; qua de re ejusdem dissertatio Academica de *medico cathedrati & clinico diversaque utriusque curandi ratione*, Duisburgi *Clinicorum* habita videri potest. Principia medica autem alia sunt *mechanica*, alia *idealisa*; unde *rationalis* quoque *Amethodia* vel *mechanica* erit, vel *idealisa*. Interim 2.) *Amethodia artificialis* vel est *stricte medica*, vel *stricte chirurgica*. Haec circa manuales potissimum operationes, illa circa auxilia pharmaceutica occupatur.

§. XIII.

Stricte chirurgicam, nec non *specialem Amethodiam* aliis indagandam relinquimus, quia tantum de *Amethodia*

B

thodia

rhodia medica in genere mentem nostram explicare, constituimus. Fundamentum huic *Amethodiae* jecit a) Historiae & nexus morborum causalis eorumque mutuae dependentiae neglectus β) variarum Speculationum physico-chymico-philosophicarum in Theoriam medicam assumptio, & exinde formatae falsae subsumptiones & conclusiones practicae, γ) emergit error, qui, quia per manus a cujusvis Sectae affeclis fuit traditus, hinc enata est δ) ignorantia, quae infelici partu enixa est ε) receptam opinionem, cui cum oculatiores subscribere recusarent, in ludem prodiit η) dissensus, in hodiernum diem nondum conciliandus inter *veteres & recentiores*, inter *mechanicos & ideales Medicos*.

§. XIV.

Nolumus, quae hypothesis e tot discrepantibus opinionibus alteri veritatis, vel verisimilitudinis palmam praeripiat, dirimere; Interim negari non potest, quod ea Theoria omnis *Amethodiae* mater existat, cujus placita cum Praxi clinica non cohaerent. Ab hac enim tritum illud Proverbium natales sumpsit: *Bonus theoreticus est malus practicus*, nec non aliud, hujus tenoris: *In Cathedra omnes curantur morbi, ad lecturam pauci*. Statuimus autem, subscribente experientia, omnia illa principia medica a vera & salutari medendi methodo recedere 1.) quae nimis sunt curiosa &, relicto uno vero necessario bono medico, subtilitates *physicas, chymicas, anatomicas, botanicas, mechanicas* rimantur: Unde non exiguus eorum Medicorum numerus existit, qui necessaria ignorant, quia non-
neces-

necessaria didicerunt. Post haec 2.) *ἀπράκτα* sunt illa principia, quae singulos fere morbos vitiosae humorum qualitati, acrimoniae scorbuticae, sexcentis diversi saporis, figurae & effectus Salibus, Spiritibus animalibus in raptum & furorem actis aliisque hujus commatis peccantibus qualitatibus, sive primae, sive secundae fingantur, adscribunt, nec non 3.) quae omnia phaenomena ex nudo mechanismo & pororum singulari habitudine ad humores, horumque specifica habitudine ad pororum figuram deducunt, hominemque, si non in omnibus, in vitalibus tamen actibus *αὐτόματον* fingunt, denique 2.) quae causas morbificas omnium motuum extraordinariorum in homine causas statuunt, motusque contra morbum salutariter institutos, licet extraordinarios a vere morbofis distingvere nesciunt.

§. XV.

Quemadmodum autem Objectum Medicinae generale corpus vivum tam sanum, quam morbis affectum constituit; ita quoque *Amethodia* in genere tam circa sanum, quam circa aegrotum hominis statum peccare solet. Prius contingit, quando auxilia a morbis praeservantia; posterius, quando remedia contra causas morborum in corpore praesentes directa, sinistre applicantur: Unde ratione objecti medici *Amethodia* 1) alia est *praeservatoria*, quae circa morborum praeoccupationem impingit, alia est *curatoria*, quae in tollendis morbis eorumque causis perversè procedit 2.) Alia est *generalis*, quae summa morbo-

morborum & causarum morbificarum genera pro
 objecto habet; alia est *specialis*, quae circa morbos
 & causas eorum *speciales* est occupata.

§. XVI.

Ametbodia, quae in *praeservatione* a morbis defle-
 ctit, potissimum in eo consistit, ut pro conservanda
 sanitate, vel nimis multa, vel incongrua remedia in
 usum trahantur. Prius contingit, quando remedia
 libertatem se- & excretionum necessariorum pro-
 moventia & conservantia aut in nimia quantitate,
 assumuntur, aut nimis diu continuantur; ex quo fit,
 ut Natura partim uno impetu, partim successivis vi-
 cibus, utrobique tamen nimium stimulata vel exces-
 sum committat, vel in posterum se- & excretiones
 artificialiter promotas suscipere renuat, nisi iterum
 stimuletur. Quo in casu semper nova Naturae vis
 infertur, quia ante data leniora non amplius suffici-
 unt. Exempli loco esse possunt remedia, per alvum
 evacuantia. Sicut enim haec in-debita quantitate &
 qualitate usurpata, siccitati & obstipationi alvinae e-
 gregie conducunt, ita nimis copiose ingesta, aut
 nimis diu continuata vel ad excessum Naturam se-
 ducunt, vel alvi segnitiam post se relinquunt, a quo-
 rum tamen censu *Pillulas Stablii & Beccheri* genuinas,
 consentiente experientia, merito excipimus.

§. XVII.

Quoad posterius praecedentis §i membrum re-
 media praeservatoria ea statuimus incongrua, quae
 causam, a qua corporis mixtionem imminet destructio,
 arcere

arcere a corpore nequeunt. Talia remedia alia-
 pura dicere posses, quae simpliciter conservando Sa-
 nitatem effectum praeservatorium praestant; Sed
 sunt ea rariora & magis dietetica, quam pharmacev-
 tica; alia autem mixta vocabis i. e. talia, quae con-
 servando & restituendo sanitatem effectum curato-
 rio-praeservatorium edunt. Utraque vim & effica-
 ciam suam partim in humores, partim in partes so-
 lidas & in motus exserunt. Singula vero, quatenus
 sunt remedia incongrua, vel non efficiunt, quod de-
 bent, vel contrarium & fonticum quid in corpus
 inducunt.

§. XIIX.

Nihil in praeservando a morbis operantur de-
 cantata illa *Amuleta*, quae duplicis sunt ordinis. Alia
 enim vi magica seu, ut vult *Helmontius*, per irradia-
 tionem in *Archaeum* operari putantur; alia contactu
 corporeo agere creduntur. Priorem Classem con-
 stituentia partim superstitionem & impietatem re-
 dolent, quod faciunt characteres, imagines sancto-
 rum, abusus divini Nominis & verbi aliaque hujus
 commatis *Amuleta magica*; partim Non-Entibus sunt
 annumeranda v. gr. Electrum Paracelsi, cujus com-
 positio & existentia cum Autore evanuit. Contactu
 corporeo a morbis praeservare dicuntur varii generis
 Vegetabilia, Mineralia, Animalia, & inde desumpta,
 colloque vel aliis corporis partibus appensa. Sic e-
 nim *Ettmüll. in Schroeder. diluc. p. m. 217.* corallia rubra
 collo appensa contra pavores nocturnos, *Hartmann.*
in Prax. Chymiatri. p. 78. caput Viperae contra anginam
 notham

notham, p. 40. radicem poeon. contra Epilepsiam, p. 28. radicem plantaginis contra affectus capitis loco amuleti, & *Croll. in Basil. chym. p. 416.* descriptiones aliquot *περιάπτων* commendavit. Interim Commendationibus his experientia non subscribit, sed frustra applicantur. Idem valet de aliis *amuletis* v. g. de succino, quod collo circumdatum ab humoribus salinoseros per cutem exspirantibus quidem corrumpitur, a morbis autem, contra quos laudatur, neminem praeservat.

§. XIX.

Post *Amuleta* praeservandi scopo etiam applicantur remedia, quae aliquam virtutem medicam in corpus exserunt, frustra autem praeservatoriorum titulo donantur. Hujus census sunt Lap. percar. no. IX. infanti recens edito propinandi, ne fiat epilepticus, cum tamen multos hoc remedio usos epilepsia mortuos esse experientia testetur. Idem iudicium esto de ungula alcis. Huc etiam spectant Aceta, Elixiria, Tincturae aliaeque formulae remediorum prophylacticorum specioso titulo superbientes, Pulveres cordiales (*Herzverwährende Pulverlein*) aliaeque hujus generis, quae singula amatoribus suis illudunt, quamvis Bezoar orientale & occidentale, margaritae, lapides pretiosi, omnes Terrae sigillatae species, unicornu verum & fossile, aliaeque auro pretiosiora eorum compositiones ingrediantur. Quamvis enim haec in corpus assumpta vel in humoribus, vel in motibus aliquam alterationem concitent, neutiqam tamen in praeservatione a morbis praestant,

praestant, quod praestare debebant; Alias nemo his rebus utens morbo, a quo praeservare eadem creduntur, corripere. Cum vero remedia praeservatoria abundanter assumptis frequentius, quam alii, morbos incurrant, fides remediorum praeservantium nullibi existit, nisi penes ipsorum Autores.

§. XX.

Tolerari tamen haec Remedia & genio seculi indulgeri posset, dummodo singula eorum ita essent comparata, ne prophylaxeos sine exhibita nocerent. Damnamus hoc intuitu 1.) quae contra noxas a terrore vel iracundia metuendas exhibentur volatilia, sudorifera, salia volatilia oleosa. 2.) V. S. quae in loco incongruo instituitur, 3.) quae pro avertendo abortu ingurgitantur adstringentia & opiata. Quoniam vero pleraque horum praeservatoriorum remediorum sunt curatoria, nolumus iisdem diutius immorari. Pergimus itaque ad *Amethodiam in curando*.

§. XXI.

Species hujus Amethodiae totidem ferme sunt, quot Morborum Species. Hinc omnes perstringere velle, majoris momenti esset labor, quam Herculis, Augiae stabulum una Nocte purgantis. Dabimus ergo tantum operam, ut secundum summa morborum genera rem breviter expediamus. Dicuntur autem summa morborum genera illi morbi, qui reliquos ut species sub suo ambitu complectuntur, quod praestant vitia fluidarum & solidarum partium. Quia tamen summa morborum genera secundum

dum *summa causarum morbificarum genera* debent constitui, non incongrue in *laesione Quantitatis, Qualitatis & Motus* fluidis aequae ac solidis partibus contingente, *summa morborum genera* quaerimus.

§. XXII.

Amethodiam itaque perpetrat Medicus in curandis morbis, quando vel *quantitati* vel *qualitati* vel motibus s. solidarum s. fluidarum partium earundemq; vitiis non exacte consulit. Contingit hoc 1.) si in abundantibus evacuandis 2.) in deficientibus resarciendis 3.) in noxiis corrigendis 4.) in motibus excedentibus moderandis aut 5.) in motibus langventibus resuscitandis & stimulantibus incongrue proceditur.

§. XXIII.

Non ausim affirmare, an ullus Medicorum in sua Praxi ex proëresi peccet? In bonum Virum enim non cadit talis suspicio, & si vel maxime in hunc vel illum caderet, iniquum tamen esset, suspicionibus judicare. Hinc quemquam secundum optimam scientiam & conscientiam agere, ex amore christiano confidimus. Novimus tamen etiam, errare humanum esse. Unde errores, ex quibus *Amethodias & antipraxes* nasci autumamus, brevibus subjiciemus. Deprehendet autem circumspectus rerum observator in Praxi clinica potissimum sequentia *πρότα ψεύδα* 1.) quod multi operationes *Naturae* adversus causam morbificam susceptas vel non agnoscant, vel, si agnoscant, pro utili & necessario molimine tamen non habeant, adeoque contra *Naturam* directe pugnent,

gnent, 2.) quod specialem *Naturae intentionem* in quolibet morbo secundum aetatem & temperamentorum varietatem variantem non satis habeant perspectam 3.) quod materiae morbidae quantitatem non rite curent 4.) quod in qualitate materiae peccantis offendant, & ut plurimum qualitatem peregrinam, & quae prorsus in Corpore locum non invenit, sibi effingant, medicationesque suas contra innumeras illas *Salium* figuras, quae nullibi, nisi in solo opinatorum cerebro existunt, dirigant 5.) quod organa huic aliive *Secretioni* applicanda, nec non vias excretorias cuique morbo idoneas ignorent 6.) quod tempus, quo *Natura* ad operandum proclivis est, vel minus, vel haud probe discernant 7.) quod ordinem, quem *Natura* in operando servat, non animadvertant 8.) quod motus extraordinarios ab ordinariis, necessarios a non necessariis, consuetudinales ab inconsuetis & erroneis non separent 9.) quod effectum remediorum nude & absolute ipsis medicamentis adscribant, *Synergiam* & *Energiam Naturae* vero excludant.

§. XXIV.

Omnes vero, quos hoc loco allegavimus, errores, manu quasi nos ducunt ad patefaciendas *Amethodias* ex ipsis oriundas. Eminent ex his potissimum sequentes, 1.) quando Medicus omnes motus extraordinarios in morbis promiscue aggreditur, qui tamen neque proprie morbum constituunt, neque ex laesione corpori illata immediate fluunt, v. g. si motus febriles temere supprimat, si dolores rhematico

C

tico

tico-arthriticos narcoticis & opiatis e medio tollere laborat. II.) quando Natura ad excernendum, stimulatur & nulla materiae peccantis correctio seu praeparatio praemittitur; v. g. Si materia lenta & tenax venticulum obsidens *Emeticis* tentatur, quae tamen *digestiva* postulat; si expectorantia propinentur, materia autem vel ob nimiam subtilitatem, vel ob tenacitatem excretionem respuit. III.) Quando quis totus est in materiae alteratione, & excretionis nullam habet rationem, ita, ut etiam alterationibus materiae corpori non inexistentis, nec unquam inextiturae, anxie iusudet, quae *Amethodia* largissimum *alterantium specificorum, ant-acidorum, antiscorbuticorum, praecipitantium, invertentium, sanguinem purificantium, dulcificantium, temperantium, corrigentium* remediorum proventum tulit. IV.) Quando quis rejectionem materiae ex corpore eliminandae nudis pellentibus urget, ubi organa se & excretoria materiae trans- & exitum dare nequeunt, v. g. si Subjectis ad sudorem minus dispositis, praecipue melancholicis, sudorifera cum regimine calido exhibentur; si menses pelluntur, sanguine spisso & viis contractis existentibus. V.) Quando excretionem criticae acutarum sive per *Haemorrhagiam*, sive per *sudorem*, sive per *exanthemata* expectandae, ante definitum tempus remediis aestuosis & sanguinem acriter commoventibus vi quasi extorquentur v. g. quando in acutis sudorifera & alexipharmaca vel imminente paroxismo aestus, vel primis statim paroxysmis, vel ubi materia jam in excretionem est constituta, porriguntur. VI.) Quando
 Medicus

Medicus necessariorum excretionum successum in omni temperamento aequè celerem promovere fatigat, v. g. si puellam phlegmaticam XVI. annorum menses nondum expertam, pellentibus tractet, si variolas & morbillos, petechias & purpuram in singulis diversi corporis habitus subjectis eodem a morbi invasione die expulsas desideret & propterea pellentibus insistat. VII.) Quando motus Naturae erronei promoventur v. g. si congestiones ad pectus expectorantium abusu augentur. II X.) Quando motuum certis temperamentis vel individuis ex consuetudine vel nativitate adhaerentium nulla habetur prudens aestimatio, e. g. si lipothymiae, syncopes, epilepsiae, in subjectis ad hos affectus alias dispositis, jam vero aliis morbis supervenientes, statim pro symptomate morbi fontico reputentur, iisque directe obviam eatur, aut emergentibus talibus animus statim abjiciatur. IX.) Quando effectus remediorum non probe ponderantur, v. g. si in acutis & personis cholericis drastica ordinentur, si terrea & alia ventriculum gravantia in magnis dosibus praescribantur, si formulae, a quibus aeger connata, vel habituali aversione abhorret, eidem obtrudantur. X.) Quando aegroto diaeta ordinatur, quae Naturae vim infert, v. g. si inviti & nauseabundi ad cibos adigantur, si febricitantibus potus ad sitim extinguendam sufficiens negetur, si patiens cibum & potum, quibus assuetus est, cane pejus & angve fugere cogatur, quae singula D. Richter de sensu Naturae circa Curationes ingruas fusius tradidit.

Non abs re fore confidimus, si quae modo in compendio dicta sunt, paulo fufius juxta species medicationum & remediorum, ut ita loqvar, explicemus. Omnis, de qua hoc loco sermo est, medicatio potissimum circa applicationem remediorum, quae *pharmaceutica* dicuntur, est occupata. Remedia *pharmaceutica* dividuntur in *alterantia* & *evacuantia*. Sub *evacuantibus* comprehenduntur *Vomitoria*, *purgantia*, *sudorifera*, *diuretica*, *emmenagoga*, *apoplegmatizantia*. *Alterantia* autem *humores* vel *motus* corrigentia sub se complectuntur. Ad priorem classem spectant *resolventia*, *incrassantia*, *balsamica*, *temperantia*, *refrigerantia*, *absorbentia* &c. ad posteriorem referuntur *anodina*, *antispasmodica*, *roborantia*, *nervina*, *specifica*. An haec divisio ex omni parte perfecta existat, nostrum non est, in praesenti excutere; Loquimur cum vulgo, ut intelligamur; fortassis autem propediem exactius mariae medicae scrutinium solers quidam Practicus in se fuscipiet.

§. XXVI.

Missis itaque his tricis, quales circa *alterantium* & *evacuantium* remediorum usum *Amethodiae* vigeant, perscrutabimur. Respectu horum in genere *Amethodiae* reus fit Medicus 1.) si emovere nitatur, quod non est mobile, 2.) si in gradu evacuationis peccet, 3.) si temporis, sensibilitatis individualis & naturalis ad hanc vel illam excretionem dispositionis, prudentem rationem non habeat.

§. XXVII.

Videbimus rem in exemplis, initium facturi ab iis, quae per canalem intestinorum evacuare dicuntur. Sunt haec duplicia, nimirum, quae per superiora & quae per inferiora contenta intestinorum educunt. Illa vocantur *vomitória*, haec *purgantia*.

§. XXIX.

Emetica, sicut in non paucis affectibus salutari effectu non destituntur; ita sine prudenti pensitatione adhibita non leve corpori damnum inferunt. Exhibentur autem ἀμεθοδῶς 1.) ubi corporis habitus nimis est obesus 2.) ubi subjectum naturali difficultate vomendi laborat, 3.) ubi adest gibbositas aut alia mala pectoris conformatio 4.) ubi dispositio ad haemoptysin, scirrhus pulmonum, phthisis & plura hujus generis vitia occurrunt 5.) ubi Febres inflammatoriae & exanthematicae imminet, & typum jam formarunt, 6.) ubi congestiones humorum contumaces versus caput urgent, 7.) ubi aeger malo hypochondriaco, hysterico inveterato laborat, 8.) ubi calculosus, herniosus, aut procidentia ani vel uteri affectus est patiens, 9.) ubi flatulentia affligit, aut ubi graviditas contra indicat, 10.) ubi capitis & memoriae debilitas praesto est, 11.) ubi de dispositione ad lipothymias syncopticas constat, 12.) ubi icterus manifestis indicis sese prodit. 13.) ubi dies paroxysmi affulsit, 14.) ubi materia peccans probabiliter in ventriculo non amplius stabulatur.

§. XXIX.

Purgantium frequentior ferme est usus quam *emetitorum*, tutius etiam quodammodo propinantur, quam *Vomitoria*, praesertim si distinctio inter *purgantia* & *laxantia* i. e. inter fortiora & leniora *purgantia* observetur: Nihilominus tamen ratione utrorumque *Amethodiae* accusari potest Medicus. *Purgantia* enim stricte talia neququam *methodice* applicantur 1.) in infantibus & senibus 2.) in gravidis 3.) in inflammationibus internis 4.) in obstructione alvi, 5.) in tenesmo, 6.) in haemorrhoidibus, 7.) in stranguria 8.) in calculosis, 9.) in cephalalgia, 10.) in febre quotidiana 11.) in vomica pulmonum 12.) in scorbuticis & aliis congeneribus affectibus. Adde, quod drastica *purgantia* ob metum hypercatharseos nunquam secure exhibeantur; Atque adeo *amethodica* curatione merito exulare debent. *Laxantia* secure quidem possunt propinari, imprimis si non sint resinosa; Nihilominus tamen in acutis, praecipue exanthematicis & inflammatoriis affectibus, nec non in defectu virium incaute data *Amethodiam* involvunt, ut &, si nimis diu continuentur. An vero *Amethodiae* speciebus inferendum sit, si quis *cholagoga* loco *phlegmagogorum*, *bydragoga* loco *melanagogorum* in usum trahat, adeo strenue non defendam. Interim certum est, quod quaedam *purgantia* magis tenuia, quaedam magis crassa Intestina afficiant, quaedam autem promiscue in singula agant, unde minimum in omnibus affectibus, evacuationem alvinam postulantibus, promiscue unum idemque *purgans* commendare, non est *Medici methodici*.

§. XXX.

§. XXX.

Secundum inter evacuantia locum occupant. *Sudorifera*, quae multis in casibus minus *methodice* assumuntur. Contingit hoc 1.) si terrore aut iracundia graviore percussi, quod communiter svaderi solet, spiritu bezoard. Buffii, aut alio sudorifero tractentur, 2.) si in febribus inflammatoriis, exanthematicis, aliisque acutis nimis mature, vel in his & intermittentibus sub aestus invasione aut incremento dentur, 3.) si eminenter plethoricis & spissitudine humorum simul laborantibus, aut 4.) strictioris corporis habitus & ad sudorem minime dispositis, vel ex adverso 5.) naturaliter nimis facile sudantibus, 6.) cruditatibus primarum viarum laborantibus, subjectis, vel denique 7.) emaciatis & viribus orbatis exhibeantur. Verbo, ubicunq; remedia motum sanguinis augmenta propinare non est consultum, ibi etiam *sudorifera* non sunt proficua; Unde error est, si in hydrope aut affectibus spasmodicis sudorem velis extorquere. Loquimur autem de *sudoriferis positivis*, copiosum sudorem pellentibus, quamvis *diaphoretica*, augendo motum humorum intestinum operantia, non plane excludamus, sed promiscuum saltem illorum usum in modo allegatis casibus jure meritoque damnemus. *Privativa* vero *diaphoretica* non sunt hujus census, sed temperantibus annumeranda, unde, quae respectu horum occurrunt *Amethodiac*, alii loco reservantur.

§. XXXI.

§. XXXI.

Cum autem excretio sudoris & urinae sint excretiones alternantes, ita ut alterutra suppressa, altera copiosius succedat, remedia quoque *sudorifera* urinam, & *diuretica* sudorem stimulare solent, imprimis quando principiis resinoso-sulphureis & salibus volatilibus scatent, hinc, quae in praecedente §. monita sunt, de quibusdam *diureticis* etiam sunt intelligenda. Interim respectu horum & reliquorum salinae vel salino-causticae indolis diureticorum *Amethodiam* incurrit Medicus, si iis utatur 1.) in nephritide spuria 2.) in stranguria, ischuria, dysuria 3.) in exulceratione renum & vesicae 4.) in mictu cruento, 5.) in seri defectu, 6.) in spasmodica renum & vesicae contractione. Idem valet de *lithontripticis*, nec non de *aphrodisiacis*, quatenus ad *diureticorum* classem pertinent.

§. XXXII.

Quae circa *emmenagoga*, *hydragoga*, *cholagoga* in Praxi medica sese patefacere solent *Amethodiae*, non aequae peculiarem classem constituunt, sed partim ad §. XXIX. partim ad §. XXX. & XXXI. spectant, quia, quaecunque huic scopo impenduntur, vel e numero purgantium, vel diaphoreticorum, vel diureticorum sunt. Magis specialiter tamen de *emmenagogis* notandum est, quod *Amethodiae* reus evadat Medicus, si eadem propinet 1.) in corpore nimis plethorico 2.) in spissitudine sanguinis 3.) in chlorosi & decoloratione Mensium, 4.) eo tempore,
quo

quo menses fluere non siveverunt 5.) ubi a spasms
viae sunt constrictae 6.) ubi Natura translationes
fangvinis pertinaces ad superiores corporis partes
suscepit & continuat.

§. XXXIII.

Peculiarem quoque locum sibi vindicat *Ametbo-*
dia ratione *apophlegmatizantium* non adeo infrequens.
Contingit autem *apophlegmatismus* I.) per nares, II.)
per glandulas salivales III.) per pulmones & aspe-
ram arteriam: Hinc pauca de illegitimo usu *a)* *er-*
rbinorum, & *ptarmicorum*, *β)* *masticatoriorum*, *γ)* *salivan-*
tium & *δ)* *expectantium* erunt monenda.

§. XXXI.

Abusus *errbinorum* & *ptarmicorum* hoc nostro
tempore inter vitia populariter grassantia referen-
dus, non tamen approbandus est, quamvis ferme
vitio vertatur, si quis hoc passu genio seculi sese ac-
commodare recuset: Man passiret wenigstens vor
seinen Galant homme, wenn man nicht seine Prisq
Cusco mitschnupffet. Mirifice mihi placuit compara-
tio, qua nuperrimus quidam scriptor extraordinari-
um hunc appetitum, quo utrumque hodie sexum
fascinatum esse videmus, *picae* aequiparare non du-
bitavit. In foro medico usus eorum adeo solemn-
haud occurrit; ubi autem necessarius ducitur, ibi si-
mul cavendum est, ne contra *methodum* salutarem
peccetur, quod accidit 1.) si cholericis aut melancho-
licis obtrudantur 2.) si contra vertiginem a restagna-
tionibus

D

tionibus sanguinis ad caput oriundam commendatur, 3.) si ad haemoptysin pronis & 4.) si gravidis exhibeantur. Posito enim, quod non ubique, ob individuales aut alias circumstantias accidentales adeo ingens damnum post se trahant; nihilominus tamen etiam ob metum damni orituri, tanquam remedia infida minus secure, adeoque minus *methodice* in allegatis casibus exhibentur. Tanto magis autem fortiora *ptarmica* sunt vitanda v. g. helleb. albus, euphorbium, piper aliaque similis farinae.

§. XXXV.

Salivalis evacuatio dividitur in *universalem* & *particularem*. Haec per *masticatoria*, illa per *salivantia* κατ' ἐξοχήν impetratur. *Masticatoriorum* usus neque adeo frequens, neque adeo fonticus existit, nisi forte applicentur a) ubi inflammationes faucium praesto sunt b.) ubi status corporis cacochymicus observatur c.) ubi febres urgent, sicut etiam d.) ἀμεθοδῶς ordi-
nantur, si nimis diu continentur, aut e.) repleto cibis ventriculo propinentur.

§. XXXVI.

Econtrario *salivatio* universalis est frequentior, & si incongrue administratur, longe periculosior praememorata particulari. Administratur autem eadem illegitime 1.) in corpore non praeparato & minus perspirabili 2.) ubi vires deficient 3.) in exulceratione oris interni 4.) in gravidis, 5.) in subjectis nimis macilentis, 6.) in constitutione viscerum scirrhuso-ulcerosa

rosa 7.) si modus salivandi incongruus eligatur, v. g. suffimigium.

§. XXXVII.

Expectorantia seu *becchica* in sui applicatione summam requirunt prudentiam; facillimo enim negotio iisdem, dum prodesse cupis, nocebis: Ante omnia ratione horum peccatur 1.) si promiscue contra quamlibet Tussim aut quodlibet asthma exhibeantur, 2.) si phthificis svadeantur, 3.) si materiam ad expectorationem disponentia h. e. vel incrassantia, vel resolventia inter se mutuo confundantur, 4.) si dentur, ubi decubitus humorum copiosus vel habitualis urget, aut ubi tussis a suppressione haemorrhagiarum spontanearum, vel a neglectu artificialium dependet 5.) si nimis diu eorum usui insistatur. Singula siquidem expectorantia necessariam quidem excretionem promovent, interim tamen simul affluxum humorum ad pectus insigniter augent, unde minus *methodice* data, non raro damnum inferunt irreparabile.

§. XXXIIX.

Ab *Amethodia* ratione *evacuantium* solemni, pergitur ad *Amethodiam* in applicatione remediorum *alterantium* sese manifestantem. Sicut vero alteratio vel ad humorum *vitiosam* qualitatem, vel ad *motuum* *anomalias* respicit; ita utrumque seorsim breviter percurremus.

§. XXXIX.

Vitiosa humorum qualitas proprie loquendo consistit vel in principiorum, ad singulorum humorum

mixtionem necessariorum defectu, vel in heterogeneorum intermixtione. Posterior status secundum sanam rationem heterogeneorum excretionem mavult, quam correctionem. Ejectis enim e corpore heterogeneitatibus, nihil periculi ab ipsis est metuendum, correctio autem partim impossibilis, partim minus secuta existit. Hinc parum *methodice* procedit Medicus, 1.) si in tali casu alterationem & inversionem materiae nocivae ejusdem evacuationi praeferat 2.) si materiam invertere cupiat, quam remediis suis immediate non potest attingere 3.) si per corrigentia materiam nocivam magis corrumpat, quem errorem B. Etmüll. de *praecipitantium usu & abusu* jam dudum annotavit, 4.) si corrigentibus pro re nata neque per urinam, neque per peripheriam cutis evacuationia associantur.

§. XL.

Sicut autem respectu prioris casus *correctio vitiosae humorum qualitatis* utique est necessaria; ita semper eo respiciendum est, ut principia, quae deficiunt, artis ope prudenter subministrentur. Peccat itaque Medicus 1.) si consistentiam & crasin materiae peccantis, cujus correctionem aggreditur, non probe dijudicat II.) si remediis, humorum vitia tollentibus alia associet, quae tonum partium solidarum vel motus in corpore necessarios laedere possunt. Impingitur itaque contra *methodi genuinae regulas* a) quando remedia aqueis principiis pollentia, in praesistente aquoso-ferosorum humorum statu & abundantia, qualis in cachecticis & hydropicis occurrit, copiose

copiose ingurgitantur b) quando eadem ad lubrificandas partes in inflammationibus erysipelaceis aut scirrhis adhibentur, c.) quando aqueis & diluentibus intempestive adstringentia, emollientia, expectorantia, anodyna intermiscuntur, & deinde morbis, quibus talis miscela non conducit, applicantur, quod plerumque (ut unius tantum mentionem faciamus) in commendatione Thermarum & Acidularum solet accidere. d.) Quando, ubi simpliciter terrea indicantur, ea assumuntur, quae vel sensibili adstrictione nocent, vel humoribus coagulum minantur, ut salia acida, vel motum sanguinis intestinum praepostere augent, aut ventriculum destruunt, uti alcalina, e.) quando sulphureo-resinosi portionibus abundantia, sive sic dicta balsamica & alexipharmaca in morbis & subjectis, conspicuam sanguinis ebullitionem secum ferentibus, propinantur.

§. XLI.

Motuum anomaliae, si vere tales existant, nequaquam quidem sunt tolerandae, nihilominus tamen omni opera eo allaborandum erit, ne Naturae violentas quasi manus inferamus; Id quod duplici ratione solet evenire, nimirum I.) si in compescendis, aut II.) in stimulantibus motibus se- & ex-cretoriis praepostere procedat, qui Medicinam facit.

§. XLII.

In compescendis motibus majori propemodum cautione opus est, quam in iisdem exstimulandis.

D 3

Facili

Facili enim negotio, suppressis *motibus*, qui *erronei & excedentes* reputantur, simul *necessariorum & salutarium motuum* successus turbatur & impeditur. Unde *Amethodiae* vix exculpandae reus evadit α) qui in motibus excedentibus ultra τὸ *nimum* in sedando progreditur β) qui materiam peccantem intactam in corpore relinquit, & tamen motibus ad ejus secretionem salutariter institutis remoram objicit, γ) qui anodyna & narcotica spasms opponit & febribus, δ) qui in affectibus phthisicis vulnerariis & traumaticis utitur.

§. XLIII.

Ratione stimulantium quoque plus uno modo peccatur, 1.) quando necessaria materiae peccantis praeparatio negligitur 2.) quando tempus excretioni opportunum non attenditur 3.) quando gradus proportionatus non observatur. Quot *Amethodiae* respectu harum circumstantiarum vigeant, praxis quotidiana ad nauseam usque in innumeris prodit, exemplis, hinc plura addere superfedemus.

§. XLIV.

Restat, ut adhuc verbum de *specificis* addamus. Haec sicut rariora sunt, & *methodice* exhibita nunquam saluari usu destituuntur, ita ex adverso nocent, vel ad minimum sperato effectu destituuntur, si *ἀμεθοδῶς* ordinantur. Fit hoc 1.) si *specificae*, nondum praeparato corpore, in usum trahantur 2.) si *malo symptomatico* opponantur, cum tamen potius *idiopathico*

idiopathico medeantur 3.) si speciale tempus applicandi negligatur, quia alia versus paroxysmum, alia sub eodem, alia sub incremento, alia sub statu, alia sub declinatione morbi amant exhiberi.

§. XLV.

Quales autem circa *remediorum chirurgicorum, & dieteticorum* applicationem *Amethodiae* hinc inde occurrant, hac vice sicco, quod ajunt, pede praeterimus, quia saltem de iis, quae ratione *remediorum pharmaceuticorum* familiares sunt, loqui in animum induximus. Hic ergo pedem figimus, si prius, quid damni aut periculi vitae & sanitati hominum ab ejusmodi *Amethodiis* metuendum veniat, succincte adjecerimus.

§. XLVI.

Damnum hoc unico vocabulo sufficienter expresserimus, si dixerimus: *Morbos corrumpi. Corruptio* autem haec exferit sese partim in materia peccante, partim in motibus se & excretoriis. Materia enim, si lenta fuerit, & evacuantibus, sine praemissis solventibus, ad organa colatoria propellatur, ibidem deponit partem subtiliorem, rudior autem, quae ob crassitiam penetrare non potest, magis lenta, quam antea fuit, in corpore remanebit & excretioni magis fiet refractaria, viscerumque obstipationes augebit. Unde, pro diversitate materiae peccantis, hydrops, inflammationes & corruptiones viscerum sequentur. Quod si autem, sicut in malignis & plerisque reliquis acutis, nimia subtilitate laboret materia peccans

cans & instar halitus massam humorum pererret, datis promiscue alexipharmacis, intestinum & progressivum sanguinis motum accelerantibus, subtilior illa reddetur, sanguini intimius intermiscetur, quantitate crescet, & vitae periculum augebit.

§. XLVII.

Æque tristes effectus post se relinquet *motuum se- & excretoriorum corruptio*. Ubi enim hi incongrue vel stimulantur, vel supprimuntur, vel ad locum alienum derivantur, ibi 1.) Naturae intentio & inventio salutaris turbatur & pervertitur 2.) motus evadunt impetuosi, deficientes, anomali 3.) materia peccans ad viscera aut alia loca huic excretioni inepta deportatur, & eveniunt metastases 4.) morbi simplices fiunt complicati & totus genius atque successus eorum temere invertitur. Cujus veritatis exempla toto die in febribus corruptis, spasms fixis, morbis habitualibus, convulsionibus, diarrhoeis acutarum, angina, deliriis, sphaceloque & praematura multorum aegrorum morte prohdolor! non pauca observamus

§. XLIX.

Ex dictis autem apparet, quod *Amethodia medica* alia sit *corrigibilis*, alia vero *minus*. *Corrigibilis* est, si neque materiae neque motuum corruptio altas egit radices; *incorrigibilis* evadit, si utraque & praecipue motuum ataxia firmiter innidulata & nobilioribus visceribus magna vis est illata. In ultimo casu non nisi *cura palliativa* locum invenit & sufficit, si
 Medicus

Medicus ubi juvare non potest, a damno ulterius inferendo absteat. In primo autem requiritur, ut Medicus ubique praegressi Morbi rationem habeat, adeoque Naturae, decente materiae peccantis praeparatione succurrat, eamque ab erroneis, quibus afficit, viis & motibus in rectam viam modeste reducat, cui postremo scopo *vera, licet rara specifica* conveniunt.

§. XLIX.

Illis autem, quibus *Amethodiae* scyllam & charybdin evitare curae cordique est, illis, inquam, Natura illud *Capivaccii* acclamat: *Discite meam methodum & habebitis vera arcana!* Consistit autem *methodus Naturae* potissimum in eo, ut, quicquid sibi molestum, superfluum, aut noxium aestimat, mature e corpore proscribere laboret, inversioni & correctioni autem non aequae anxie insudet. Ex quo conficimus, quod illa *methodus methodum Naturae* prae caeteris imitetur, qua magis ad tempestivam materiae fonticae eliminationem, quam laboriosam inversionem respicitur, licet praeparationem materiae, ad excretionem commodiorem, quae Naturae ob adminiculorum defectum quandoque est impossibilis, artis ministerio impetrandam simul quam maxime commendemus.

§. L.

His probe pensitatis firmiter concludimus, Medicum prudentem *Amethodiam* feliciter evitaturum esse, si 1.) Intentionem Naturae in singulis morbis sibi propositam rite cognoscat, advertat, sequatur. 2.) si de materiae peccantis morbo substratae quantitate

E

titate

titate & qualitate sit certus, & cuique in specie decenter ferat suppetias 3.) si organa, cuique materiae speciatim colatorium & excretorium praebentia discernat, 4.) si tempus non modo excretioni opportunum, sed etiam illud, quo Natura adversus morbum operatur, sedulo inquirat 5.) si ordinem, secundum quem in omni morbo Principium vitale procedit, rite attendat 6.) si motus extraordinarios salutare ab erroneis & noxiis sollicite distingvat, 7.) si consuetudinis & sensibilitatis individualis rationem habeat, adeoque proportionem motuum secundum aetatum, sexus & temperamentorum diversitatem metiatur 8.) si indicationes suas intentioni Naturae conformes faciat, & se- & ex-creciones necessarias iisdem organis & viis obtinere studeat, quibus in statu sano vel parallelo ejusdem aut similis materiae se- & ex-cretionem salutariter suscipiat Natura 9.) si materiam excretioni non obedientem legitime praeparet 10.) si non nisi tempore opportuno moveat, 11.) si in se- & ex-cernendis noxiis ordine, quem Natura amat, utatur. 12.) si motibus extraordinariis necessariis manum praebat obstetricem, ut tranquillitate metam exoptatam attingant 13.) si erroneos, individualiter tamen innoxios toleret, noxios autem caute corrigat, & nunquam directe, multo minus uno impetu supprimat 14.) si in hunc finem remedia tuta, probata, Naturae amica adhibeat, 15.) si regimen ita adornet, ne conatibus Naturae & salutaribus se- & ex-cretionibus remoram ponat. Quibus secundum optimam scientiam & conscientiam administratis & subordinatis, spe sua nunquam excidet Medicus; In iis autem casibus, ubi malum plus docta arte valet, hoc ipsi cedit solatio.

Quae mea sunt, feci, caetera crede Deo!

